96

ORATIO DE IVRE ET IVRISCONSVLTO.

IN INCLYTA ACADEMIA SALANA publice habita

A

GEORGIO IACOBO REICH DRESD: I. S.



IENAE
Typis Tobiæ Steinmanni.
Anno cIↃ IↃ XCII.

CLARISSIMIS ET DOCTISSIMIS VIRIS, DOMINO IOANNI BRAMBACHIO MEDICINÆ DOCTORI, & DOMINO HIERONYMO PANTZSHMANNO Iurisconsulto, affinibus & Mecœnatibus suis summa observantia colendis.

PRiscorum titulos, maiorum bellica facta,
Liminà victricis palma docuêre Quirites:
Te quoq; BRAMBACHI, pacatâ laude nitentem
Exæquamus avis, te iusti sospite curam
Mens habet, & medica servantur corpora dextra.
PANTZSHMANNVMq; cano, cuius facundia mœstos
Defensura reos vocem dimittit amœnam:
Munera militiæ licet exercere togatæ,
Mitia & electo sub iudice bella movere,
Civica pro trepidis tollantur ut arma professa,
Cum iudex levibus veluti præludit in armis,
Compositûq; suas expendit litibus artes.
Quod sint iura bonis, quod sint ornata figuris,
Excussoq; micet fulgore scientia torno,
Pauca meus sterili conatus dixit avena.
Quos referam titulos, dubius feror, inclyta vestra
Nomina me rapiunt; citat & miranda per omnes
Vita modos, clara perstringit imagine visus;
Vos referam, dico certùs hoc pignus amoris,
Purè iudicium vestrum subitura movete.
Quod si digna minus flore est mea pagina laudis,
Me voluisse iuvat; non linguæ fulmina iacto.

Georgius Iacobus Reich.

Ad autorem.

QVanta sit utilitas Iuris, quantusque recessus
Dixisti Latio, dulcis amice, sono.
Perge fovere Themin, legesque revolvere perge,
Et venient studiis præmia digna tuis.

M. Hermannus Plassius Saxo.

DE IVRE ET IVRIS-
CONSVLTO.

FACTVRVS VERBA hoc in amplissimo lectissimorum hominum consessu, & circumfusa iuventutis eruditæ frequentia, valdè quam doleo, orationem tantæ nobilium, clarissimorum & doctissimorum coronæ, ornatissimoq; ad dicendum loco dignam, afferre me non posse: Quanquam enim mihi hic locus, & frequens sapientissimorum conspectus multò iucundissimus semper est visus, tamen hoc aditu, cum nondum huius loci autoritatem contingere auderem, statueremq; nihil huc nisi perfectum ingenio, elaboratū dustria afferri oportere, non mea me voluntas, sed rationes virium omnibus longè inferiores prohibuerunt. Sæpe tum à natura editas, tum ab hominibus inventas res animo reputans, in omnibus ratione admiranda servari ordinem atq; progressum animadverto, ut flumine ingenij, non dicam exornari, sed enarrari earum dignitas non possit. At si minus dicendi copia illam consequi

possumus, voluntate certè proximè accedimus. Vos igitur, auditores, meliore mente mea verba audire oportebit, ut sermonis nostri inopia vestræ humanitatis copia aliqua ex parte recreetur: ac si me dicente magnarum rerum aberit successus, honestus sit ipse conatus.

Sapientiam civilem, & pronunciandi de IURE *&* ÆQUO *facultatem ex præcipuis bonis esse, quibus societas humanæ coniunctionis munificè conservatur, omnes sanæ agnoscunt mentes. Nam cum* IUS *repetimus, quibus ex fontibus illud ortum sit, invenimus, non abditos quidem illos & reconditos esse, sed ex ipsis omnino mentis penetralibus scaturire. Quod quidem cum ex hominum societate communitateq; liquidum sit, tum ex veteribus sapientissimorum hominum elucubrationibus facilè adparet, quibus illi demonstrant nos planè ad virtutis splendorem maximum* IUSTITIAM *natos esse, neque opinione genitum, sed innata vi* IUS *constitutum esse. Hoc definita confirmarunt lege, Justorum nempe atq; iniustorum distinctione, ad illam antiquissimam, & rerum omnium principem expressâ naturam. Porrò nemini ignotum est, maiores illos Romanos simulatq;*

mulatque IVRIS in urbe constitutum erat, eò quod intelligerent, ex omni scientiarum genere nihil neque ad humanas actiones magis necessarium, neque ad homines beneficiis astringendos, eorundemque studia concilianda magis accommodatum esse., quam IVris scientiam & disciplinam, ut quæ una rerum omnium salus atque tranquillitas constare videretur, eam suam adeo propriam esse, atque à se possideri voluisse & decertasse. Neque hoc est dissimulandum, sed præ nobis ferendum: quam multi patrum memoria, quam multi nostra ob sapientiam civilem ad summos honorum gradus evecti sunt? neque id immerito: cum enim omnes Imperatorum constitutiones nihil propè aliud quam æquitatem spectent: Quis nam potius ad Reipub. gubernacula admittendus est, quam is, qui æquitatis artibus instructus cursum tenere potest? Vnus profecto IVRIS peritus est, qui omnia, quæ ad conservationem Reipublicæ status necessaria sunt, complectitur: Hic improbos ejicit, tuetur bonos, contra commoda & dignitates avertit molitiones, utilia & decora cognita persuadere conatur: IVSTVM laudando, quasi exemplum quoddam, quod imitari debeat, civibus proponit, iniustum

improbando, quid fugiendum & omittendum sit o-stẽdit: deniq; in specula quasi constitutus omnia cir-cumspicit, ac nullã publicæ dignitatis partẽ omittit.

Quæ cum ita sint, rebus Iuris germanitate & incremento quæsito honeste constitutis, unusquisq; uti frui debet. Nulli enim iudicent cogitatione gravius, vel vindicent se verius memoria posteritatis, vel literarum monumentis exornent præclarius, quam Reipublicæ dignitatem & vinculorum vitæ communis conservationem: cum in commune positæ partis IUSTITIÆ nimirum habita ratione, erga DEUM religionem, erga parentes pietatem, creditis in rebus fidem, in benevolentia amicitiam, in moderatione animadvertendi lenitatem præstando HONESTE ET IUSTE vivitur: Hæ virtutes maximè colendæ in hac rerum & temporum inclinatione, ut pax retineatur, libertas non amittatur, de religione decidatur, non armis quibus tolluntur, sed iustis, quod nullius mens veritatis conscia potest reformidare, legibus atq; iudiciis, merita, mores non fortunã sequẽdo, in dignos conferre instructis, in omni divinarum humanarumq; consensione cum cultoribus honestatis convenire expeditis, ad-

fectus

fectus in odium alicuius invectionis temere conci- tatos comitate retinendo, misericordiam veniamq; tribuere paratis.

Et quantacunq; hoc in genere IVRIS putatur facultas, doctrinis tamen atq; praeceptis meliores faciet, & Reipublicae gerendae utiliores, qui ad omnem virtutis, IVSTITIAEq; in primis cultum, & salutarem civilis vitae cum degendae, tum regendae prudentiam erudiuntur:

IVSTITIA quidem, à qua una boni adpellantur viri, mirifica res quaedam multitudini videtur: Excellentissimis tamen bonis doctrinarum, quibus gaudere & frui cum fortuna & gloria, tum natura & moribus debent, suos cultores, & rei Antistites sanctissimae exornat. Erudiuntur prospiciendi scientia, quid in unoquoq; re verum sit, ut quoties vitae necisq; caussa agitur negotijsq; contrahendis obligamur, aut aliquo casu, in quo periculum vertitur animae devincimur, veritas elucescat, ope & labore homines incerti efficiantur certi, consilii inopes compotes fiant, ne admoniti res iniustas atq; iniquas impune tractent. Potentia iniuncta regnant, cohibendo Reipub. seditiones, quo auxilium praestetur adflictis, iniuriae arceantur

 impro-

improbis punitis, & sceleratis suppliciis adfectis.

Nulla lex est, nulla præterea ratio legis est, quæ non ad unum aliquod ex his reduci poßit. Nam ut de principijs, & generalißimis iuris quædam dicamus præceptis, ex quibus reliqua omnia gignuntur ac fluunt, & quo rursum referuntur ac abeunt, Honestas tanquam præcipuum, quatuor manat ex fontibus, cognitionis, communitatis, magnanimitatis & moderationis. Cognoscit igitur primum vir bonus, honestam vitam esse natura pulcram atq́ decoram, si Deum, hominesq́ celare poßimus, nihil tamen avaré, nihil iniustê, nihil libidinosè, nihil incontinenter esse faciendum. Iudicat item ea, quæ constant ex hominibus tuendis, aliorum spolijs facultate & copia auctos, propter emolumentum alterum spoliantem, & alicuius famæ incommodo suum augentem commodum morte, exilio, vinculis, damno coërcet.

Magnanimus insuper est; gravis atq́ severus, incorruptus, inadulabilis, in improbos erectus, vi & maiestate severitatis terrificus, non criminatur, præcipit aut fallit, non probat legum & libertatis interitum, sed earum oppreßionem tetram atq́ detestabilem gloriosam facit. Porro

æquali

æquali lance præsidet, discordias tollit, contumelias, rapinas probibet, cohibet, moderate & scienter comitante lenitate in animadvertendi moderatione pro dingnitate & meritorum Diuersitate Jus suum cuiq; tribuit, siue pœna sit adficiendus quispiam, sive præmio remunerandus.

Si igitur hoc natura præscribit, vt homo homini, quicunq; sit, ob eam ipsam rationem tamen, quod homo sit, consultum velit, necesse est, secundum eandem naturam omnium utilitatem esse communem, & eadem Justitiæ lege contineri nos omnes: Quæ nobis Iurisprudentiæ studiosis unice commendata, & quasi ad aram ab Opt. Max. *Deo desponsa est, quo adultā virginem caste & reverenter, ingenij pulcritudine & viribus libertatis munitam, ab impetu violentiæ, quantum fieri potest, probibeamus, ne vi & injustâ potentia pessundari atq; everti poßit, cogitationes & consilia non ad turpis lucelli alicuius aucupium ambitiose comparata habeamus, sed animus in forma huius incorruptæ virginis obtutu hæreat defixus in uno, totamq; eius faciē, quā constantißimis & sanctißimis verborum coloribus, forma & filo virginali aspectu formidabili, luminibus acribus, neq; humilis neq;*

lis neq; atrocis, sed reverenda tristitiæ dignitate, depinxit antiquitas, universæ vitæ commoditate & actionum honestate imitari atq; ostendere conemur.

Confirmatis iam, Auditores, doctrinæ virib. ratione concinna publica evolvenda est utilitas. Singulæ igitur IVRIS *partes industrie investigatæ, ad verum finem, nempe usum fori accommodentur. Magis est secundum naturam animi magnitudo iusti, æqui celsitas, communitas, liberalitas, quam vita, voluptas, divitiæ: quæ quidem contemnere, & pro nihilo ducere animi magni & excelsi est, Magnitudo autem Iusti societatem civium communis utilitatis caussa beneficentia & bonitate conservat, cuius societatis, ut Cicero inquit, arctissimum vinculum est magis arbitrari esse contra naturam hominem homini detrahere sui commodi caussa, quam omnia commoda subire vel externa, vel corporis, vel etiam ipsius animi, quæ vacent* IVSTITIA.

Re siquidem ipsa testante, non teneri hominum cœtus, citra germani solidiq; IVRIS *scientiam exercitationemq;, nec sine certa via, ordine & eruditionis ratione eius cognitionem haberi iustam &*

Reipub.

Reipub. oportunam posse, unum debet esse omnibus propositum, ut eadem civilis ratio vitæ sit uniuscuiusq; & universorum. Si enim sic erimus adfecti ut propter suum quisq; emolumentum spoliet aut violet alterum, dirumpi necesse est eam, quæ maximè secundum naturam, civilem vitam. Sit nobis exemplo societas membrorum in corpore humano, si unumquodq; membrum sensum hunc haberet, ut posse putaret se valere, si proximi membri valetudinem ad se traduxisset, debilitari totum corpus necesse est: sic unusquisq; nostrum si rapiat ad se commoda aliorum, communitas coniunctionis humanæ dissolvatur necesse est.

Sed IVS constringit vincula non modo Iudiciorum sed etiam utilitatis communis, legitimê & usitate in reb. caußisq; civium æqualitatem conservat, eiusq; scientia est nobilißima rerum domina, per quam cuncta reguntur, neminem sinit in paupertate vivere, neq; in anxietate denasci, ex qua caute agens nihil potest damnificari, per quam non minus providetur humano generi, quam si patria armis defenderetur.

Laudatur Megellanus, qui ex insulis Meluccis gemmas asportavit maximas, quanto quæso

magis

magis æquitatis margarita illius Meluccicæ splendidissimæ, quæ in personis res & actiones iustè adornat, hominesq́ ab interitu vendicat, verbis retinendus est splendor, cum illa ipsa nobiliter addiscentes, eiusq́ professores per orbem terrarum gloriosè faciat principari, eosq́ immortali gloria post exutum hominem in cælestibus adficiat.

Quæ cum ita sint, & IVSTITIA sit fundamentum perpetuæ famæ & commẽdationis, insidiat in optimo quoq́ Honesta actio noctes atq́ dies animum gloriæ stimulis admonens & concitans, non ijs regionibus quibus vitæ curriculum circumscriptum est, existimationem terminandam esse, nec cum vitæ tempore commemorationem honestatis dimetiendam, sed cum omni posteritate adæquandam. Immo unusquisq́ iam tum in honestê agendo spargere se & disseminare in orbis terræ memoriam sempiternam famam honestæ actionis arbitretur.

FINIS.